Cracoviensis Studior. Univ. Jagell.
Promotiones Ordinis Philos.
1651. 30 Martii.

~~Poezya~~ 2809

Nucerini Alberti: Flores vernantis semper Academiae

FLORES VERNANTIS SEMPER ACADEMIÆ,

Primâ

ARTIVM ET PHILOSOPHIÆ LAVREA

Per Excellentiss: atq; Doctiss: D.

MARTINVM RADYMINSKI

Collegam Maiorem, & Cursûs Vladislauiani Professorem dignissimum: decorati

DECANATV

Clarißimi & Adm. R. D.

STANISLAI TEMBERSKI

Collegæ Maioris, & ad S. Annam Canonici.

PER

F. verò ALBERTVM NVCERINVM

Ordinis Canonici Custodum SSmi. Sepulchri D. Hierosolymitani, Conuentûs Miechouień. Professum, & eiusdem Laureæ Candidatum:

Anno Domini 1651. Martij 30.

Publicæ Luci in frequentissimâ Clarissimorum Virorum Coronâ

PRÆSENTATI.

CRACOVIÆ,

In Officinâ Typographicâ Lucæ Kupiß S.R.M. Typographi.

IN STEMMA
Religionis Antiquissimæ Miechouiensis.



Stemmata quid prosunt illis? quos Candida virtus,
 Vitæ vel morum dotat honore pio.
Non Leo, non Aquilæ, picti non Æmiliani,
 Vnica sed virtus, Stemma cuique datur.
Stemmatis at facies huius bona: cuius imago
 Ach sobolem, CHRISTI Sanguine progenerat.
Ergò quæ virtus, quæ laus est Stemmatis huius?
 Nos CRVCE claremus, CHRISTVS vt ipse fuit.

P. Iacobus Sliwski Iur. Can. Aud.
C. M. P.

Adm. Rndo. in Christo Patri,

D. STANISLAO RACKI ORDINIS CANONICI

Custodum SS^mi. Sepulchri D. Hierosolymitani Conuentus Miechouien.

GENERALI CVSTODI Vigilantissimo,

Domino & Benefactori obseruandissimo.

CVM primitiæ studiorum meorum Togatæ Palladi ab ipsa consecrandæ præsentantur A. R. D. etiam Tibi, eodem solennitatis Musarum die; pro omni erga me beneficiorum Tuorum impendio: gratitudinis meæ primordia consecrare, in animo decreui meo. Non enim aliter facere potui, ac ne debui quidem: quàm dum laborum meorum primam in Academia Crac. decerpo Lauream: Tibi quoque, ac Tuis Virtutibus, meæ pietatis tesseram, & obsequiorum indicem: animo maiore, quàm viribus, imponere coner coronam. Quis enim iam non imposuit? quis laudibus non extulit? quis beneuolentia non complexus est? Cuius omnes zelum in bono Religionis promouendo, pridem viderunt, & inuiderunt. Cui dotes Tuæ naturâ & labore comparatæ sunt occultæ, vel inauditæ? Quem Pietas aluit, Temperantia fouit, Prudentia ornauit, Humanitas, Benignitas, cæteræq; raro Virtutes consortio, nomen laudabile & amorem apud omnes comparârunt. Et licet semper gloriosa Sepulchri Dominici

minici Custodia, Viris grauissimis, & Pastoribus vigilantissimis abundè glorietur; tamen cùm Te hâc temporum tempestate, vel multis præponendum, vel omnibus amplectendum, vitæ normam & morum exemplar habeat: vehementer lætatur. Vidimus multos Congregationis nostræ Præsules in vigilantia sedulos, in abstinentia fortes, in obseruanda disciplina Religiosa diligentes, laboribus tamen infractum, & periculosissimi regiminis tædio non pertæsum, cum omni nostrum applausu & lætitia: te primum videmus, & intuemur. Quid? An cum hisce perditis temporibus, Res Ordinum aliorum succisæ, prouentus diminuti, bona deuastata, ægrè admodùm suos sustentant alumnos: nostram nobis etiam sufficere posse aliquis arbitretur tenuitatem: nisi Tuæ vigiliæ & industria Tua, atq; solicitudines nobis succurrerent; quæ æternùm Tibi, iam in omnium Fratrum animis victurum comparârunt monumentum. Tu A.R.P. incredibili dexteritate, quâ polles, in peragendo rectè diuinorum officiorum ordine vigilantissimus, Tu in auertendis Religionis nostræ detrimentis sagacissimus, Tu in retinenda veteri disciplina diligentissimus, Tu CVSTOS ille zelantissimus, cuius merita & labores indefessos, commendans Isaias Propheta exclamare non dubitauit: Custos quid de nocte? Custos quid de nocte? quasi nobis insinuare vellet, Te pro vigilantia Tua & curis nocturnis in candoris Tui recompensationem, omni nostrorum desideriorum honore esse prosequendum. Quare non dubites A.R.P. de obseruantia nostra in Te: non enim dubitamus Nos, de amore Tuo. Quem quia redamamus, honoramus. quia honoramus, veneramur. & omnium laborum & vigiliarum Tuarum impensissimos conatus colemus & obseruabimus perenniter.

Dilexeras, verus amor redamat, dilectio certaty vicissim.

Humiliter & ego

A. R. P. Vestræ deuotissimus

F. ALBERTVS NVCERINVS
Primæ Laureæ Candidatus.

Adam. Knab. P. D.

ALEXANDRO ZBIKOWSKI

Sacræ Theologiæ Doctori,

Præposito S. Ioannis Gnesneń. ibidemq́ Ecclesiæ Metropolitanæ Canonico Nato, Conuentus Miechouień. Professô, & Maioris Poloniæ PROVINCIALI.

Nec non Benefactori meo Colendissimo.

DIgne Mecænas: Cui plena votis
Plectra debentur; quibus eruditam
Vocibus mentem Lyricis, tuam, quô
Carmine psallam.
Quod modò sacris Heliconis oris,
Adsto Musarum, tua dextra virtus
Fecit: ô dignum Cui Rex polorum
Soluat abundè.
Nuper à Musis relegatus, eheu!
Siue fatorum furijs repulsus
Siue Fortunæ: miseramque sortem
Corde dolebam.
Tu genas fusis lachrymis rigatas,
Ipse tersisti: numeroq; florum
Florido colli, socius Mineruæ
Restituisti.
O virum semper mihi prædicandum
Quem probi mores, pietasq; clarum
Vox egenorum benè liberalem
Prædicat esse.

Ipſa Doctorum veneranda doctum
Atq; Muſarum celebrat Corona,
Et chorus totus iubilans Sophorum
Laudibus ornat.
Surge Parnaſſi, Cytharæq; Præſes
Phæbe: nec buxum ſileas iacêre,
Gratus & laudum numeroſa pandas
Vela Camœnis.
Surge cui prudens graciliſq; ſermo
Cui genus Dium, facies decora
Palladem dico: refer auſpicato
Omine vota.
Turba florentes redimita Lauros
Ferte nunc veſtras properæ Coronas
Ferte cui dignas mea vult voluntas
Reddere grates.
Vos odoratis ſociæ Cateruis
Gratiæ florum properate myrtos
Ipſe grandæuæ Chronius ſenectæ
Surgat ab Axe.
Huic diem vitæ facilem beatæ,
Gloriæ verum decus, & laborum
Pignus æternum: patriæq́ue vittam
Donet & ornet.
Nil magis poſſum tibi comprecari
O Pater gratis animis fouende
Viue, cui vitam famulus precatur,
Viue beatus.

Excellen-

Excellentissimis atque Doctissimis DD. EXAMINATORIBVS.

NVnc ô quem primùm Claria decorare coronâ
Pulchrâ factorum vitæ, virtutis & oris
Quem celebrare decet: cui florem ferre laborum
Primum, quis gratus, Capitis de vertice promit
Quidquid honoris habet, vobis imponere gaudet.
Laurea perpetuo semper, quos cinxit honore
Florida: quosue rosæ dulces spirantis odoris:
Lilia quos niueo decorant spectanda colore:
Quòd varijs florum redemitis lætus Apollo
Parnaßi præses Musarum limina pandit.
Pandistis, cum Heliconiadum plantâstis in oris
Vos Celsæ frondes Magnorum numina Vatum.
Carpite solliciti flores: libate laboris
Mercedem, laudis semper mutabilis æui
Ignaræ: veram curarum hominisq́ Coronam.
O fructum vitæ! satis est! num? pulchriùs istâ
Ipse pater lucis fulgentibus vndiq́ stellis
Phœbus. nil poterit thesauris pandere cœli:
Pondere vel pretio vastum nil digniùs intra
Oceanum seruat: meritis quæ tradere poßit
Præmia: cum pulchris cedit sua terra lapillis.
Sed satis est animi grati deferre Coronam
Quæ tamen hæc? quæ laurigero decorabit honore
Multarumq́ simul ternos ornabit Achates
Virtutum: quia nam trinis donauit easdem
Pallade cum doctâ: sed Phœbus doctior artes,

Si pla-

Si placet; ô qui laurigerâ de stirpe Coronas
In nostri Capitis demittere tempora vultis.
Sumite gratifici quo Nostra Thalia coruscat
Vatibus vt mos est: centum sibi poscere voces
Centum ora & linguas, orare in Carmina centum.
Nunc vt honor Vestræ laudis semperq́ perennet.

V. D Fr. ANDREÆ KARPIOWIC
Sacri Ord. Cisterc. Professo Claræ Tumbæ.

Sic candidus esto.

QVid dicam de te? vel quâ decorabo coronâ
Virtus digna, meis laudibus vsq; tua
Florescat clarè! clarorum floscule florum
Quem virtus pridem Relligioque tenet
Liligeris vestita Togis: prætexta colore
Nigro; quem clarum post habitura putat.
O sôdes voueo: sed quo te cinxit Apollo
Solue: solutorum præmia digna dabo.
Flos Iunonis ego, nascens ex vbere lactis
Diuarum Cæli: lacteus inde vocor. (lac
Sum niueus, nix non sum, lac sum, nec tamen &
Nec nix: sum totus lacteus & niueus
Nomen candor habet: vix nascor Regius & iam
Ambrosiusque cibus: Si pede mergar aquâ.
Ille ego sum, capitis qui quodam vertice dempto
Murus & Arx Phrygiæ, proh fueram: nec ero.
Scis quis sit? si tu? fias, nec desine talis
Tuncque Tuos flores *Crescere Sol faciet.*

E I D E M.

Promotore carens virtus non ſurgit in altum.

CVM meritis ſemper dantur virtutis honores
Et tibi, nunc mea, mox vincla reſolue dabo.
Sum quoddam ſubſtans, & naſcor ſemper ineſſe:
Eſſe meum per ſe, & ſemper ineſſe volo
Deuoro quem video: ſine dentibus, & ſine lingua
Mænia nec timeo: rumpere cuncta queror.
Sol meus hoſtis adeſt, eius quoque temno calorem,
Ilicet ille deeſt, non tamen ipſe calor.
Viuo ſemper ego floreſcens integer in ſe,
Alta peto, cingens robora quæq; licet.
Tu quid agas videas, modo noſcas quid cupis eſſe,
Quæ mala ſunt fugias, & ſociare bonis,
Rectis alta petas: eſt hæc. Quâ ſtante virebis
Pyramis. Optima mens: *cui ſociatur honor.*

V. D. F. IOANNI DEIACKI
Conuen. Miechou. Profeſſ.

Sub pondere ſurgo.

O Palmâ dignum qui ſic virtutibus altis,
Creuiſti maior floribus vſque meis,
Creſcas ingenio, ſemper pietate vireſcas,
Viue Deo: nobis, Relligioque Tua
Per Te, credis Tu? modò Viue, corona manebit
Te cælis; ſpectas? mox dabo ſolue priùs.

Sum Phænix, sed auis non sum: sum fertilis arbor:
Expansis pillis fæmina pulchra vocor. (fusis
Non sum animal, nec homo, digitis & abundo pro-
Scire velis quid sit? dic mihi scire volo.
Africa me genuit, dat terram Hispania vastam
Italiæ regnum sunt oriensq; meum.
Fertilis & sterilis fructu distinguor in oris
Dulcis amara simul, tempore, nonque loco,
Pluribus in panem, multis mea viscera vinum
Opprimor & viuo. *Succubuisse pudet.*
Cætera quid memorem? multorum nomina Regũ
Hoc à me totum quidquid honoris habent.
Dixi: seu vincis; seu crescis. cresce coronâ
Floribus ex istis *Crescere non aliter.*

EIDEM.

Nuper me in littore vidi.

IAM lætare modò, virtus Tua iuncta labori
Phæbo grata: Tibi: seruiet ipsa Thetijs
Quem flos non laqueat? quem dulcis fructus odore
Non vincet? fies flos, mea dicta cape.
Purpureâ totus rubicundus gaudeo veste
Corpore sum pinguis, pinguior ast pedibus.
Ornatum quæris foliorum? monstrat arundo.
Quæ natura mihi? quæ parit illa sciet.
Amnis me genuit. Cephißi filius olim.
Et casus Nymphas causa fuêre mei.

Hic

Hic ego: qui mentes reddo, stupefactaq́ corda
Quæ? nisi queîs capitis membra grauabit odor?
Tu magis, & pulchro stupefias floscule flore
Narcissi: nunquam nomine scissus eris.

V. D. ANDREÆ ABREK

Spinis nutrita virescit.

O Aganippeos flos intemerate per hortos,
Cuius candorem nullus Adonis amet.
Quæ tibi sit virtus, ego sentio: si tamen olim
Virtutum meritis floridus esse velis.
Solue quis est ita, mirifico perfusus odore
Flos Paphiæ semper gratior atque suæ.
Candidus & rubeus: faciem quoq; captat amantis,
Molliter hunc perflat, quisquis odore caput.
Infectum gestat Bacchi cum corpore toto.
Sustinet & vitam: quiq; valere facit?
Si tangis. moritur; post mortem quæritur ægris.
Et reparat vitam post sua fata alijs.
Crescit militibus septus, claususq́ue virescit
Tot foribus: cunctis intima corda tenet.
Sed breuis est vitæ; si ros quo roditur absit
Ossea membra rigens, qui tamen Osse caret.
Nodum rumpe meum, non est, Te namq; coronat
Flos tuus hic, Tibi quem docta Minerua dedit.
Floridus es, crescas: licet à radice reuulsus
Fato si fueris: *Flore superstes eris.*

EIDEM.

In Thera Insula quædam arbor fuit adeò felix: quòd cùm cæteræ plantæ cæli arescerent inclementiâ, ipsa incolumis remansit, & virides ramos explicare visa est. *Herod.*

QVIS te florigeris carpsit amor locis,
Et Magno manibus misit Apollini.
Pulsârunt aliæ dulcia tympana.
Plauserunt aliæ dulcesonantibus
Buxis: iam calathis pars tulerat suis
Flores: pars labiis ore rubentibus
Risit: Te viridem cum Nemoris sacri
Plantam perpetuò Pallas odoribus
Florentem: roseis tradiderat suis
Nymphis: vt veteres abijcerent simul
Ornatus capitis: tum noua vertici
Aptant vela suo: sanguineas color
Inuasitque genas mox rubicundior
Illarum: sed vbi ter celeri pede
Virgo pulsat humum: plaudite vocibus
Inquit prima Chori: Munus Apollinis
Flos hic est animo munera sumite
Grato: sed memores sitis vt arboris.
Quæ solis radios salua nec æstuans
Perfert: nec patitur torrida lumina.
Sic Virtus veniens corpore lucido
Vrentis radios vincere sit memor.

Illæsus. Veneris: Sic manet integer
Flos vitæ. *Videas hæc tibi seruiant.*

V. D. HYACINTHO TOMASZEWIC

Rediuiui primula Veris.

FLoſcule, ſi flos es ? (credo) plantatus in alto
Vertice Parnaſſi : ſolue quid eſse volo.
Primus ſum fratrum, minimus ſed naſcor ab illis
Non morior viuens, viuoq́ue cùm morior.
Non violor, violorq́ue ſimul ; me nomine diſces
Hoc: quæ dona mihi ? plura notanda vide.
Vix natus, magnis Magnatum inſeruio pallis,
Tergaq́ue magnificis cingo colore viris.
Vna dies, quid ? prima mihi, cum nubilis, hora
Sum, nuptus caſtè poſt violandus eo.
Sic violor, nec amor, caſtum ſeruoq́ue pudorem,
Eſt virtutis honos interger atque mihi.
O Ædipe dic quid ſit ? ſi dices, macte, coronam
Indolis augurium ſuſcipe Tyreſiæ.

V. D. ALBERTO SLESZKOWSKI.

Arbor eſt quædam quæ reſecta pullulat, & quaſi cum ferro certat. ſectione enim germinat, ac decerpta ſuccreſcit. *D. Greg. Nazian.*

QVIS Deûm ſacram dabit ore vocem,
Muſa quæ dignas reſonabit artes,
Quæ Tuos tandem decorare poſsit,
Pallas honores.

Siue saxorum nemorumq́ psaltes,
Orpheus surgat Cytharamué pulset.
Haud tibi suppar queat eruditam
Psallere chordam.

Seu nepos clarus velit ipse Atlantis,
Dulcis inuentor Lyricusq́ vates,
Te canat magnus Pater, & Deorum
Augur Apollo.

Maior his virtus Tua crescet omnem
Temporum labem, fugiens, triumphans,
Nec malis vnquam quatietur, olim
Clarior inde.

Durus expugnans Adamas repellit,
Ignis & ferri violenta flammæ;
Credo: quòd semper sapiens malorum
Victor abiuit.

Arbor est prudens Sophus omnis vltrò,
Qui subit cædens aciem securis,
Non timet ferrum feriens iniquis,
Pectora rebus.

Siue Parcarum patiatur iram.
Siue Fortunam videat iacentem,
Integer vitæ sapiens manebit
Tempus in omne.

Sic agas nullum metuens laborem
Gloriæ: fortem reuocet nec vlla
Vis mali mentem: Specie & virebis
Semper eâdem.

V. D.

V. D. ANDREÆ KOLVSKI.

Victorum gloria Regum.

QVO Tua commeruit fastigia scandere virtus
Lauri? si meritis, credo, resolue priùs:
Daphnis eram quondam, miserā formosus Apollo
Fecit. quid miseram? sors mihi facta bona.
Floret Parnassus, resplendet Regia solis
Luce meâ: bellis horriferosq; fugo
Suffitu Lemures: nec cœli fulmine tangor
Sed semper victrix nomen vbiq; meum
Sum iuuenis semper; multo viuoq; calore
Quodq; senex nunquam symbola aperta vides.
Delphicus es video, si nôsti: præmia reddat
Tarpeius sceptrum Iuppiter ipse tibi.

V. D. MARTINO FILEWICZ.

In Pactolo crescit herba, dicta Chrisopole: cuius folijs aurum purum ab adulterino discernitur.

NON sic camino flammigerum suo
Vulcanus vrens forcipibus probat
Ferrum: & metallum quod fodinis
Eruitur reprobatur igne:
Quàm semper vltra, morsibus omnium
Virtus malorum concutitur nimis
Multisq; lapsis enitescit
Temporibus priùs, inde florens.

Dentes

Dentes acutos inuidiæ modò
Modò retortam fert aciem sibi
Constantèr: inuisæ sagittas
Non trepidat tolerare Parcæ.
Stat pro furenti, stat sapientibus
Fato malorum, sat nimis improbus.
Labor: probatos reddit atq;
Lydius ille lapis, Togatos.
Thesaurus, aurum sit, sapientiæ
Aurumq; doctè scripta volumina
Aurum sophorum dicta multa
Codicibus calamoq; fixa.
Viri eruditi Chrysopoles quasi
Doctrina quorum vix pretium subit,
Quorum probato tincta puro
Candida vita refulget auro.
Puro probatus tu Iuuenis modò
Auro laboris: das oculis Tuis
Lucem: sed almus si vis esse
Floridus esse potes labore.

V. D. RAPHAELI ROSCZYCKI.

Socius terræq; mariq;.

NVnc hilares si quando mihi nunc ludite Musæ
Alludam Vobis: & Tibi ludo, vide.
Neptunus nomen cum Phæbo iunxit vterque
Diuide ROS caput est, inde MARINVS ero
Virgi-

Virginis orno caput, mea SORS ibi MARS simul & MORS
Si moritur virgo, RISVS abest & AMOR
Est ARS quòd cresco : quòd RARVS, MIRVS abindè
MORSVS SVM multis OS mihi semper abest.
ROMA decore meo gaudet, sed abundat & escâ
SVS quoq; MVSq; meâ: quod tamen inde mihi?
Tolle MANVS SI, VIS viridis fert RAMVS odorē
In spinis ROSA adest. nullaq; spina mihi
MAIOR odor Lauris, alijs nec floribus adsunt
Quàm mihi: si plantes, crede ROSARIVM erit
SIN. MINVS, est SINUS redolendi IVS mihi præbens
Si nihil est horum? quid MARO voce dabit?
Illudo dices? non: ludo carmine lusum:
Alludas & tu, certa corona manet.

V. D. GEORGIO CHRZONOWSKI.

In Pangæo nascitur herba, vbi quondam Bacchantes Orpheum discerpserunt, ex cuius sanguine stillante orta est herba Cythara dicta, eò quòd in memoriam Orphei, dum Bacchi sacrificia peraguntur, sonum emittat. *Plut. Iunior.*

O Nimis felix nimium beatus
Quisquis à multis sapiens habetur
Ille dicetur meritò beatus
Terq; quaterq;.

Huius

Huius æternum capient labores
Huius effusi toties dolores
Præmium: Viuet placida locatus
Pace perenni.

Huius in laudes properæ Camænæ
Huius aduentum resonare dulci
Turba Musarum Cytharâ canentes
Ociùs ibunt.

Quidquid in mundo videatur esse
Siue gemmarum lapidumq́ terræ:
Siue quod factum manibus probatur
Omnia vana.

Frangitur ferrum violatur aurum
Vrbium muros populatur hostis
Ipse Phengites perit in fauillam
Tempore certo.

Ipsa nec duris fabricata durat
Marmoris semper specie columna,
Saxeus quondam, ruit vsq́ terram
Atq́ Colossus.

Sola prudentum moribunda nunquam
Integrum virtus retinebit orbe
Nomen & laudem. Sapiens triumphans
Ipse manebit.

Cresce plantatus patiens laboris
Arborum plantas numeratus inter
Doctus, ignaram Libitinæ habebis
Viuere vitam.

V. D.

V. D. MATTHÆO TVSZYNSKI.

Jure probabor.

SVrge ſonora Chelys. Cytharæ reſonantis imago
Mitte ſonum dulcem. dulcia vota modò
Dic mecum celeri redolentis carmine floris
Virtutum ramos, quid valeant celebra.
Copia linguarum mihi, quid tum? Vox tamen vlla.
Orantis certus ſum tamen ipſe modus.
Si florum ſpectas normam, ſeu quo ordine creſcāt?
In numerum digitus ceſſerit ipſe Tibi.
Si fructus dulces? ſpeciemq; figura notabit
Ipſa Tui cordis: corda notare poteſt.
Quid ſit reſpondes? *Foribus ſuſpendo coronas:*
Filius & doctæ Palladis eſto Sophus.

Bapsth. infans Cra.

V. D. FLORIANO BARSCZEWIC.

Hecatoncephalos eſt quædam herba, cuius radix ſimilitudinem alterius ſexus refert, maximè verò conciliat inter homines amorem. *Plin. l. Nat.*

QVid Cræſus tribuat diuitijs Tibi,
Quid gemmis varijs, atq; potens Arabs,
Quid pulcher rapidis vorticibus ferens
Auri dona Tagus: ripa beatior
Hebro: quæ faciat ſplendidius Tuum
Nomen, quodq; polis reddat amabilem
Si virtutis amor proh pudor exulat.

 Hæc

Hæc cœlo superum spirituum locat.
Hæc mentes hominum captat amantium.
Hæc Regis capiti dat diademata.
Hæc dignum varijs ornat honoribus.
Hæc merces aderit vera laboribus.
Virtus verè hominum iungit amoribus
Hoc virtutis opus: quam studiosior
Si seruabis, eris tunc peramabilis,
Tunc clarus radijs corda pedes Tuis,
Tunc florens meritis dulcior omnium
Parnaßi calathum flore micantibus
Viues temporibus perpetuis idem.
Quod fiat voueo, & corde precor Tibi.

V. D. ALBERTO WILAMKOWIC.

Amor vt acus.

QVisquis mortalis melius consurgit in altum
Virtute: hic etiam fulget in orbe magis.
Ne dubites, virtutis onus sed sedulus & Tu,
Ante subi meritis dona parabo Tuis.
Me Cynaras genuit quàm gratus filius olim
Dum vixi fueram? quis dubitare queat?
Sed proh fortunam! finit solamina fatum
Implumæ mortis; qui puer: ecce cibus
Armentis natus: quid rides? vnus & ægris
Sum medicina malis: etsi vt AMARVS AMOR
Vis mihi mollis inest, facio languêre calore
Non mirum! vel quis flosculus arte caret?

Totus

Totus sum floris: caput est sacratus amori,
Verte pedes lumbis, mox tibi CARVS ero.
Sic labor est durus: post charus: perfice namque
Gentis Abydenæ, læta corona manet.

V. D. IOANNI MVLEROWIC.

Cynosbatus herba per diem inter cæteras minimè agnoscitur, nocte verò, stellæ instar lucens facilè in conspectum venit. *Ælianus lib. Annal.*

O Vita fallax, quid fugiens breui,
Umbrâ bonorum fallere cogitas
Mortalium mentes, quibusuis
Decipientibus Orbis vmbris.
Vitæ quis vnquam tempora languida,
Quis fraudulentos & dubios dies,
Annosq; vel menses fugaces
Mellifluo celebrabit ore.
Non sic sagittas eiaculat suas
Lernæus arcu: Thessalicus quoq;
Non sic Scytharum currit vrgens
Missa cito volucris sagitta.
Non sic in aruis Pegasus arduus
Spumante cursu quadrupedum suo
Excurrit: immites equorum
Ignipedum superatq; cursus.
Non sic rapaces inter aquas ruit
Lambens arenas Eridanus vado:
Ruptisq; feruenter recurrunt
Flumina nec violenta ripis.

Quam vita currit cursibus omnium
Velociori nec reuocabili
Cursu: per omnes & dierum
Labitur impetuosa menses.
Ergone clarus? lumine qui breui
Splendet dierum, tam spatio suæ
Laudis, simul qui morte: famâ
Commoritur tenebris sepultus.
Hic lucet almo sæcla per omnia
Splendore: vixit qui velut aduena
Ignotus: ast virtute notus
Quiq; humilis radios premebat.
Hæc sola virtus spreta licet, magis
Lucet: nec vllis obruitur malis
Lucebis & Tu. Crede, certo.
Tempore. Sis modò corde purus.

V. D. LVCÆ NOWAKOWIC.

Ad flumina Lethes.

GLoria quæ maior nullis moritura diebus?
Gloria quæ proprijs nascitur ex meritis.
Ergo si quæris meritorum carpere fructum,
Ardua quæq; prius sunt toleranda Tibi.
Sustineas quosuis patiens perferre labores
Sit labor: ac honor: *Hâc itur in Astra via*
O proles generosa Tibi quid cætera prosunt?
Si nunquam meritis perpetuare Tuis

Possis:

Possis: sed poteris, modo ceptum perge laborem
Sic virtutum flos crescet in Orbe Tuus
Quô melius facias: patriæ quid causat amantis
Non meminisse suæ. dic? imitare simul
Fac si Parnassi viridis vis crescere ramus
Primæ non debes iam meminisse viæ.

Ad Venerabilem & R. F.
ALBERTVM NVCERINVM
Conuentus Miechou. Professum,

Andreæ Abrek Primæ Laureæ Candidati.

PROSPHONYSIS.

DVM tua Castalijs nuper celebrata Camænis
Carmina contemplor, metraq; discutio
Fama domus Miechouiticæ. Frater Nucerine
Intima Pierij lausq; decusq; chori.
Protinus attonitus, Musâ duce clamo; Poëtæ
Vester hic ortus amor deliciæque meræ.
Et meritò. Qui spectat enim tua plectra canora
Qui graciles numeros: ponderat, atq; sonos
Ille sit imprudens, si non concluserit ex his
Ingenium facilè maximum inesse tibi.
Omnia profectò si voluet carmina doctus:
Non nisi de docto pectore, prompta feret.
Nec potiora mihi iactet sua Naso, Tibullus,
Pyndarus, insignis vel quoq; systra Maro.

Quæ

Quæ ſibi ſic teneris Phœbus recreauit in annis
Audeat vt genij iure vocare ſui.
Hic labor aſſiduus reperitur, & alta Mineruæ
Dona patent cunctis: Cura diurna ſubeſt.
Exulat hic dilecta quies: procul otia diſtant:
Diſtant, quæ fugimus peruia quæque mala.
Sed quid miramur naſcentis dona Mineruæ?
Miremur quando poſterioris erunt.
Talia ſi poterat: poterit maiora dicare
Si maiora poteſt, maxima nonne dabit?
Macte animi virtute Tui, virtute beatis
Nonniſi tractandâ, conſpicuiſq; viris
Iam modò ſuſcepti iuſtiſſima ſume laboris,
Præmia: quæ nullo ſunt moritura die.
Laurea prima tuos auſus decet, & loca prima,
Vt teneas: Virtus, Pallas, Apollo iubent.
Ergo iam gratâ decorato tempora lauro
Et quæ dat vates nomina, corde foue.
Sunt tibi conſpicuæ dotes, ſunt grata Mineruæ
Munera: Palladius iure vocaris amor:
Eſt ſita in ore Charis: tua tempora blandus Apollo
Temporibus totis, fecit amica ſuis:
Fac, his aſſiduum ſtudium, curamq; perennem
Iungere non ceſſes vel leuiore pede.
Gratia ſic Phœbi maior, ſic gloria maior
Poſcet in inceptis viribus eſſe tuis.
Hæc ego polliceor: cuncti hæc tibi corde precātur
Hæc in quo viuis poſtulat ORDO ſacer.

FRA-

FRATERNÆ GRATITVDINIS ERGÒ.

AT non silenti murmure proximum
Laudabo vatem? surget honor tuus
O Frater, ô & flos renascens,
Per Solymi iuga celsa Pindi!
Vt cumq; Græco barbaries fuget
A colle Musas: ilicet exulent
Musæq; Musæiq; prisci
A vetitis Heliconis oris

Vltore Turcâ. Tu mihi prouidus
Vindex Idumæ: Tu Libanitici
Redux Sionis Bethleemq;
Ore tuo renouetur isthîc.

Sacriq; Vates, queîs Asie ferax,
Musis placebant, melle Prophetico
Per te reflorescant Pòetam
Hic per Hyperboreos Triones.

Iam non inani Laurus adoreâ
Vatis futuri tempora circumit
Te Bacca; Te Laurus virescens
Cum crepitu foliorum odoro.

Signat Poëtam. Tunc bona faustitas
Incepta firmet! Miechouiæ Tuæ
Curabis ô Frater referre,
Prisca Tuæ monumenta famæ.

Te namq; pacis visio, & Vrbs Sion
Abundè doctum, quærit & hinc pium
Inuitat, vt per templa sacro
Ore tones NVCERINVS *alter.*

IOANNES DEIACKI
Con. Miechou. Prof.

ÆNIGMA.

Soboles. Caret [illegible]

QVot mihi sunt soboles Lector studiose requiris,
Virtutem noscas pignora sancta scies.
Vna mihi virtus, si tangam vertice cælos
Mensurem terras? ecce trinuna vocor.
Me dirimit Mathesis ego præsum magna Polonis
Virtus quâ fulgent, fulgeo moxq; mihi.
Si soluar soluor, tamen at sibi fœdere iuncta
Principij virtus, cùm legor ipsa manet.
STANS ego NI celeri virtute per æthera currens
Specter, quid cælos? LAVS mea corde petet.
Felix IO annis Christigeri insidet alis
Pegaseæ poterit, scandere templa domus.
Trina mihi virtus, & trina triangula cuncti
In laudes monstrant, multiplicare suas.
Hæc quisquis felix dissoluas carmina vates
Ipse feres Habdanc, Oedipus alter eris.

Sub Felicibus auſpicijs

Magnifici & Clariſſimi Domini,

D. GABRIELIS OCHOCKI,

Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris,

CONSVLIS CRACOVIENSIS,

Almæ Vniuerſitatis

R E C T O R I S

Vigilantiſsimi.

